Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 313
Quelle:
Copyright:

ueciuitatis Salczburgen. dioc. deambulans Laicum quendam sibi obvium et apprehenso cultello minacem post mutua convitia *cum gladio non euaginato inter scapulas;* verum Socii illum persecuti occiderunt. Signatae sunt hae Literae ad oram inferam: *N. Sypontinus.* Itaque veneratus sum manum *Nicolai Perotti* Ep. *Sipontini* Viri inter primos Literarum Vindices eruditi, et carissimi magni *Bessarionis* alumni, quae hoc in Urbe nostra exaravit. De ejus Vita et Scriptis agit *Niceronus* T. IX. p. 374.

CCXIV.

U. 44 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 290. f. currente calamo scriptus ita se in Theca anteriore enunciat: *Hic continetur exposicio epistole Pauli apostoli ad collosenses secundum quod legit in scolis theologicis studij wyennensis Honorabilis ac egregius vir Magister petrus de pirchenwart sacre theologie professor eximius. cuius anima deo viuat. Item exposicio super epistola ad thessalonicenses. Item super epistola ad tytum. Item dubia circa predictas epistolas secundum ordinem.* Praemittitur vero Index realis et ipsa etiam Argumenta ante singulas Epistolas exponuntur. Initium Epistolae ad *Coloss.* est: *Paulus Apostolus* &c. *Ista est epistola beati pauli Apostoli quam scribit ipsis colossensibus* &c. Ita *fol.* 66. p. 2. Epistola ad *Thessalonic. I. fol.* 117. p. 2. ad *Thessal. II. fol.* 142. ad *Titum*, *fol.* 178. ad *Philemonem.* Vides igitur plura praestari, quam quidem praevia illa *Nota* pollicebatur. Ad calcem Epistolae ad *Titum* haec habentur: *Et sic est finis illius Epistole ad Tytum Qui factus est legendo, sabbato ante dominicam palmarum Anno domini 1435°.* Unde egregie doctus Interpres noster *Petrus Reicher de Pirchenwart* D. *Stephani* Canonicus vitam ultra annos T. I. *Scriptt. Univ. Vien.* p. 102. ei adsignatos produxit, mortuus, ut habet *Locheri Speculum Acad.* anno 1436. *Dubia* superius indicata a *fol.* 191. usque ad Codicis finem pertingunt.

CCXV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 160 Folior. 492. f. per duas columnas currente calamo exaratus, et sub finem male habitus continet: I. *Lecturam* scholasticam prolixam in *D. Pauli Ap. Epistolam ad Hebraeos*, quam manus recens *Johanni Grössel de Titmanning* inscripsit, Autore ipso praemittente: *Anno 1455. tredecima Junij exorsus presens sum opus.* Quod si is sit *Joh. Grösselius*, labor iste in tertium Rectoratum Academicum Viri incidit. Dixi de illo alias. Lectura praesens incipit: *Diuine prouidentie fauente clementia lectionis epistole ad hebreos Doctoris gentium egregij Pauli apostoli vasis electionis operam possetenus aggressurus* &c. Et finit: *Gratiam et gloriam dabit dominus;* cum addito: *Explicit scriptum super epistolam ad hebreos Anno do-*